



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Duodecima Conclusio. Quando reus sufficienter fuit tortus, ita quod prior a indicia diluerit & purgauerit, & tamen nihilominus nihil confessus est, sed in negatiua persistit, tunc regulariter non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

quando iubent reum deponi à prima tortura, solent curare, vt notarius scribat in actis, se eum deponere animo repetendi tormenta. Hæc tamen repetitio torturæ verius dicitur continuatio torturæ, quàm eiusdem repetitio, licet etiam interpolatis & diuersis diebus id fiat.

Duodecima Conclusio. Quando reus sufficienter fuit tortus, ita quod priora indicia diluerit & purgauerit, & tamen nihilominus nihil confessus est, sed in negatiua persistit, tunc regulariter non possunt repeti tormenta, nisi noua indicia superueniant.

HANC docent DD. communiter in locis allegatis in Conclus. II. & alij in d. L. Repeti, & alij multi, quos ad longum allegant Boërius in decis. 163. & Anton. Gomez. tom. 3. vatiar. resolut. num. 26. Dicitur in Conclusio-
ne (regulariter non possunt repeti.) Quia quãdo prima indicia sunt multum vrgentia & manifesta; tunc licet de iure tortura non possit repeti, nihilominus de consuetudine tormenta repetuntur, & ita practicatur, vt post Bartol. in L. vnus. §. reus. ff. de questionib. docent Alexand. lib. 1. consil. 5. incip. In casu inquisitionis formatæ. Alberic. Iulius Clar. Menoch. Gomez. loc. cit. & alij alibi. Quod à fortiori verum est in grauissimis exceptis criminibus,

nibus, quæ tendunt contra communem spiri-
 tualem, aut corporalem reipublicæ salutem,
 cuiusmodi sunt veneficium, proditio, crimen
 læsæ maiestatis tam diuinæ quàm humanæ,
 &c. In eis enim quando vrgentia, manifesta q;
 sunt indicia priora, & reus est robustus corpo-
 re, solet repeti tortura virtute priorum indi-
 ciorum. Monent tamen aliqui DD. rectè circa
 hanc doctrinam, cauendum esse ne quid ni-
 mis seuerum ratione huius doctrinæ intente-
 tur. Sæpè enim contingit ob sæuitiam Iudi-
 cum, & tormentorum acerbiteriam multos cõ-
 fiteri, quæ nec committere cogitârunt. Etenim
 tortura res est fragilis & periculosa, & quæ ve-
 ritatem fallat, vt ait Vlpian. L. 1. §. Questioni fi-
 dem. ff. de quæst. Nam pleriq; patiëntia siue du-
 ritia tormentorû ita tormenta contemnunt, vt
 exprimi ab eis veritas nullo modo possit. Alij
 tanta sunt impatientia, vt quoduis mentiri,
 quàm pati tormenta velint, ita fit, vt etiam va-
 rio modo fateantur: vt non tantum se, verùm
 etiam alios criminentur. Hæc in d. L. Hinc ab
 oratoribus, Cicerone lib. 2. de inuentione, &
 Quintiliano lib. 5. orator. institut. assignatur
 locus communis à quæstionibus contra quæ-
 stiones. Vnde infertur, quod non omnis inno-
 cens est apud Deum, & in veritate, qui purga-
 tis per torturâ indicijs, absoluitur; nec omnis
 sceleris reus, qui ad confessionem tormentis
 extortam condemnatur. Apud historiarum

scriptores non desunt exempla multorum, qui nulla tormentorum sauitia, multitudine & magnitudine cogi & impelli potuerunt, vt veritatem confiterentur. In primis memorabile est illud de Zenone Philosopho, dialecticæ primo inuentore, qui cum Phalaridem tyrannum plus æquo, & crudeliter dominari animaduertisset, incensus cupiditate liberandæ patriæ cum nobilissimis adolescentibus conspirauit in mortem Tyranni. At arcanum eorum consilium detectum fuit, & machinatio Zenonis patefacta Phalaridi, à quo eã ob causam captus, & ad quæstiones raptus, conuocato in forum populo: cumq; acerbissimis tormentis laceraretur, vt consilij & machinationis participes reuelaret, nulla tormentorum vi & terrore adduci potuit, vt conscios facti proderet, sed vultu imperterritito, & magna constantia in sua sententia persistens, etiam Tyranno intimos & fidissimos familiares, quanquam insontes, tanquam coniurationis capita, suspectos reddidit: quibus sublatis, Agrigentinae vrbs multitudinem sauientem, eorum ignauiam & timiditatem increpando, effecit, & oratione magnifica impulit, vt facto impetu Phalaridem lapidibus prosternerent, vt post alios posteritati tradiderunt Valerius Maximus lib. 3. cap. 3. & Alexand. ab Alexandro genialium dierum lib. 1. cap. 30. Simile referunt hi auctores de Theodoro viro grauif-
tino.

imo. Sed & in muliebri sexu non deest exemplum: Leæna cum per omnes cruciatus & artus à tyrannis torqueretur, nunquam cogere potuit ut consilia Harmodij, & Aristogitonis tyrannicidarum, manifestaret. Qua de causa ad perpetuam rei memoriam Athenienses illi erexerunt simulacrum videlicet legnam æneam, cui ob insignem & memorabilem taciturnitatem linguam addi vetuerunt. Huius Leænæ meminerunt Tertullianus in Apologetico, cap. ultimo. Lactantius diuinar. institut. lib. 1. ca. 2. Plinius histo. natural. lib. 7. cap. 23. Pausanias lib. 1. & Alexand. ab Alexand. loco cit. Alia plura ad eundem effectum colligit Valerius Maximus loco cit. & lib. 8. cap. 4. Ex alia parte quidam ita impatientes, ut metu tormentorum fateantur, quæ non fecerunt. Sic Magri argentarij seruus Alexandri Rafani seruū occidisse in simulatus est, & eam ob causam tortus à domino se id facinus admisisse, cōstanter confessus est, & Fannio deditus, supplicio affectus est. Paulo post ille de cuius nece agebatur, domum redijt, referente Valerio in d. cap. 4. Sic etiam Iulius Clarus vbi supra num. 46. testatur se intellexisse suo tempore de duobus, qui in tortura confessi fuerunt se occidisse quēdam nobilem eorum inimicum, qui deinde post multos annos repertus fuit viuus in quodam castro carceratus a magno quodam Domino. Ipsi tamen

propter confessionem vi tormentorum factam, fuerunt ultimo supplicio affecti. Ex his alijsq; quæ adferri possent, satis clarum redditur id quod in d. §. Quæstioni fidem, à Iuriconsulto dicitur, quod tortura res sit fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat: idque vt ex sequentibus liquidum est, nascitur ex diuersa & varia hominum constitutione.

Decimatertia Conclusio. Quando reus in tortura crimen contra se confessus est, potest repeti ad torturam ad detegendum socios criminis, in casibus, quibus de sceleris participibus interrogatio iure institui potest.

L. fin. C. de accusat. & in script. DD. ibidem. Marsil. in practica. §. Diligenter. Damhauder. in rerum crimin. praxi, cap. 38. num. 14. & alij communiter in hac materia: hoc enim omnium iudicum praxis recepta attestatur. In quibus autem casibus quis de socijs iure interrogetur, demonstratum est in secundo membro superioris tractatus.

Decimaquarta Conclusio. Quando reus in tortura confessus fuerit crimen & deinde ductus ad ratificandum confessionem
can